

videtur. *Offensum* est, quod eorum, qui audiunt, voluntatem laedit: ut, si quis apud equites Romanos, cupidos iudicandi, Caepionis legem iudicariam laudet. *Contrarium* est, quod contra ea dicitur, quae ii, qui audiunt, fecerunt: ut, si quis apud Alexandrum Macedonem contra aliquem urbis expugnatorem diceret, nihil esse crudelius, quam urbes diruere, quum ipse Alexander Thebas diruisset. *Inconstans* est, quod ab eodem, de eadem re diverse dicitur: ut, si quis, quum dixerit, qui virtutem habeat, eum nullius rei ad bene vivendum indigere, neget postea sine bona valetudine posse bene vivere: aut ajat, se amico adesse propter benevolentiam; sperare tamen aliquid commodi ad se perventurum. *Adversum* est, quod ipsi causae aliqua ex parte officit: ut si quis hostium vim, et copias, et felicitatem augeat, quum ad pugnandum milites adhortetur.

*L. Si non ad id, quod instituitur, accommodabitur aliqua pars argumentationis, horum aliquo in vitio reperietur: si plura pollicitus pauciora demonstrabit; aut, si, quum totum debet ostendere, de parte aliqua loquatur, hoc modo: Mulierum genus avarum est; nam Eriphile auro viri vitam vendidit:* aut, si non id, quod accusabitur, defendet: ut, si quis, quum ambitus accusetur, manu se fortem esse defendat; ut Amphion apud Euripidem, item apud Pacuvium, qui, vituperata musica, sapientiam laudat. Aut si res ex hominis vitio vituperabitur; ut, si quis doctrinam ex alicujus docti vitiis reprehendat: aut, si qui, quum aliquem volet laudare, de felicitate ejus, non de virtute dicet: aut, si qui rem cum re ita comparabit, ut alteram se non putet laudare, nisi alteram vituperarit; aut si alteram ita laudabit, ut alterius non faciat mentionem: aut si, quum de certa re quaeretur, de communi instituetur oratio; ut, si quis, quum aliqui deliberent, bellum gerant, an non, pacem laudet omnino, non illud bellum inutile esse demonstret: aut, si ratio alicujus rei reddetur falsa,